



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

7. Attende quam ingrediaris viam à primis annis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

cum Proverb. 9. v. 13. 14. 15. 16. (g) *Mulier stulta & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suae super sellam in excelsis urbis loco, ut vocaret transeuntes per viam, & pergentes itinere suo: Qui est parvulus declinet ad me, & vecordi locuta est &c.* Hæc inquit mulier, est suada meretrix, seu vecors Voluptas, meretricio procax motu, infracto per delicias incessu, nutantibus oculis, & ludentibus jaculans palpebris retia, quibus pretiosas juvenum animas capit; quemcunque viderit sensu indigum, prætereuntem, sermonibus adoritur gratiosis, quibus facit juvenum avolare corda, pudore vilis, amictu dives, genas picta, vitiorum succincta comitatu & quodam nequitiarum choro circumfusa. Thesauros demonstrat, regna promittit, amores spondet, inexploratos concubitus pollicetur, sine pædago disciplinas, sine monitore sermones, vitam sine sollicitudine, mollem somnum, inexplebilem cupiditatem. Atque hæc est illa seductrix, quæ parvulos, hoc est, imprudentes adolescentes in transversum agit, à dextro tramite in sinistram torquet. Hæc S. P. Igitur quisquis es, qui cum Hercule vis monstrorum, hoc est, vitiorum domitor evadere, ne finas te à recta virtutis semita deflecti, *nam si sapiens fueris; tibi metipsum eris: si autem illusor* (id est, irrisor & contemptor bene monentium) solus portabis malum, Prov. 9. scilicet exitium tibi accerses sempiternum.

VII. (b) Ibidem cap. 22. legimus: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Hebræi habent *juxta os via sua*, id est, bivium. Hinc Vatablus: initia, inquit, puerum juxta bivium viae suae, id est, institue & erudi puerum ab incunabulis, ut recto tramite virtutis incedat: plurimum enim interest, ad dextram an ad laevam deflectat. Rectè autem os viae, vocatur bivium, quia sicut os est bifidum (finditur enim in duo labra) sic bivium secatur in duas vias. Pulchrè Clemens Alexand. lib. 1. pædag. c. 5. Est, inquit, in nobis uber ætatis, ipsa juvenus. Nam sicut ex materno ubere lac fugitur, quo omnia infantis membra nutriuntur: ita ex juventute hauriuntur mores, quibus reliquæ ætates informantur. Quatuor verò de causis demon adolescentibus maximè venatur. Primò, quia scit à Deo pios adolescentibus maximè amari & expeti, ideò hunc florem ætatis gaudet Deo præripere. Secundò, quia sic viam sternit ad sequentis vitæ peccata. Tertio, quia adolescentibus facilè falli, difficilè se expedire è diaboli vinculis possunt. Quarto, quia dum peccant, impotenter peccant. Hæc ille. Unde videant

(g) *Invitamentum voluptatis. (b) Multum est situm in primo bivij Herculei aditu.*

deant etiam atque etiam adolescentes, quam ab ineunte pueritia ordi-
antur telam, quæ puris paratissque ad rationem mentibus mandent semi-
na: quibus colorum initiis rudes animarum tabulas imbuant, ad quas
artes, cogitationes appellant, quod arripiant vivendi genus, quam stu-
diorum ineant viam. Etenim quam quisque à teneris capessiverit vitæ
rationem, eam ad exactum usque senium retinebit. Quocirca Sophar
amicus Jobi c. 20. *Ossa, ait, ejus implebuntur vitiis adolescentia ejus, &*
cum eo in pulvere dormient. Cur quasi, non dixit caro, sed ossa ejus?
Planè, sicut quæ ossibus insident, cum ipsis durefcunt ac durant, ita
prorsus vitia juventutis, ut ibi notat D. Gregorius, quotidie duriora
existunt, ut etiam in senectute solidentur.

SYMBOLVM LI.

Herculis acta, & apotheosis.

Ex 9. *Metam.* 8. *Aeneidos*, *Seneca in Hercule Furente* & *Oetao* & *Na-*
rati Comite, *Mythologia lib. 7. c. 1. aliisque.*

Ethicè.

1. Cupiditates & affectiones indomitæ sunt monstra Herculis.
2. Hydra Lernæa est invidia, capitosa plebs, & septem vitia ca-
pitalia.
3. Rationis, & Appetitionis pugna per Herculem &
Antæum expressa.
4. Leo Hercules symbolum heroum. Te-
merarius congressus.
5. Labores Herculis morali sensu.
6. Li-
bidinis servitus.
7. Virtus gaudet asperis.
8. Inferit astris.
9. Invidiæ malum.
10. Fraudis & reæ conscientia detectio.
11. Herculis apotheosis.
12. Samsonis & Herculis comparatio.

Hercules Jovis & Alcmenæ filius, nomen habet ab ἥρα Junone, & κλέος
gloria, quod ejus imperijs, magna vi animi & corporis exhau-
stis, immensam gloriam sit adeptus. Dicitur etiam *Alcides*, vel
ab *Alceo* avo materno, vel ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, à robore & fortitudine; quæ
ipsum toto terrarum orbe celebrem reddidit: Ex ejus facinoribus, quæ
labores à Poëtis appellantur, illustriora quadam, & ad institutum no-
strum magis facientia, adducemus.

N B

Primum